

Multa rogant utenda dari, data reddere nolunt;  
Perdis, et in damno gratia nulla tuo:

435 Non mihi, sacrilegas meretricum ut persequar artes,  
Cum totidem linguis sint satis ora decem.

Cera vadum temptet rasis infusa tabellis,  
Cera tuae primum conscia mentis eat;

Blanditias ferat illa tuas imitataque amantum

440 Verba, nec exiguas, quisquis es, adde preces!

Hectora donavit Priamo prece motus Achilles;

Flectitur iratus voce rogante deus.

Promittas, facito! quid enim promittere laedit?

Pollicitis dives quilibet esse potest.

445 Spes tenet in tempus, semel est si credita, longum:

Illa quidem fallax, sed tamen apta deast.

Si dederis aliquid, poteris ratione relinqui:

Praeteritum tulerit perdideritque nihil;

At quod non dederis, semper videare daturus:

450 Sic dominum sterilis saepe fefellit ager,

Sic, ne perdiderit, non cessat perdere lusor,

Et revocat cupidas alea saepe manus.

Hoc opus, hic labor est, primo sine munere iungi:

Ne dederit gratis, quae dedit, usque dabit.

455 Ergo eat et blandis peraretur littera verbis

Exploretque animos primaque temptet iter:

Littera Cydippen pomo perlata fefellit,

Insciaquest verbis capta puella suis.

Disce bonas artes, moneo, Romana iuventus,

460 Non tantum trepidos ut tueare reos:

Quam populus iudexque gravis lectusque senatus,

Tam dabit eloquio victa puella manus.

Sed lateant vires, nec sis in fronte disertus,

Effugiant voces verba molesta tuae!

465 Quis, nisi mentis inops, tenerae declamat amicae?

\* Saepe valens odii littera causa fuit.

Sit tibi credibilis sermo consuetaque verba,

Blanda tamen, praesens ut videare loqui.

Si non accipiet scriptum inlectumque remittet.